QUAE RATIO
INTERCEDAT INTER ANGLICAM RECENTIORIS AETATIS
LINGUAM EJUSQUE FONTES INQUIRITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

CAROLUS AEMILIUS THORER

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

GORLICII,

TYPIS RAEMISCHIANIS.

AMICO

HUMANISSIMO, DE ME MERITISSIMO

OTTONI FERDINANDO WALTER

HOC OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Hominum singulorum indoles, ut non solum in habitu insito innatoque aut consuetudine tradita, sed etiam in locorum, in quibus vixerunt, natura, in laborum, in quibus versati sunt, genere, denique in eorum, quibuscum fuerunt, moribus cernuntur: sic etiam populorum ingenia aut ex terrarum earum, quas incoluerunt, situ aut ex vitae conditionibus aut ex operum ratione, maxime vero ex ea quam cum externis habuerint, conjunctione cognosci judicarique potest. Lingua autem quaeque, ut praebet perfectissimam ingenii imaginem, ita arctissime cohaerere cum reipublicae vitaeque rationibus videtur. Unde anglicam linguam, diversissimis fontibus auctam cumulatamque, quum diversissimae

in Britannia gentes nunc hostiliter nunc placide inter se patrium sermonem communicarent et propagarent, consummatam Anglorum speciem praebere consentaneum est. Quae quum ita sint, operae pretium esse videtur investigare, quibus e fontibus Anglorum sermonis leges et materia fluxerint. Quae studia tam ingentem praebuerunt apparatum, ut literae inde haud contemnendae originem traxerint. Quapropter in animo mihi est, non tam nova afferre multa ad ea quae ab aliis parata sunt, quam thesauri ex studiis multorum adhuc conquisiti quasi speciem et formam adumbrare. Qua in re si quaedam proprietas compositionis et nescio an materiae electae inveniatur, operam dedisse haud inutilem mihi videbor. Ac primum quidem breviter historiam linguae anglicae explicabo.

Historicam continuationem linguarum in Britannia usurpatarum, si diligenter accurateque consideramus, haec efficitur series:

I. lingua a Gallis Britanniam ingredientibus ibi inventa;

II. lingua gallico-celtica a Gallis allata eaque triplex; britannica, galica, irica;

III. lingua latina;

IV. lingua gallico-celtica Romanorum concursu primorumque christianorum conversione orta;

V. lingua anglosaxonica;

VI. lingua anglica et celtica inter se commixtae;

VII. lingua anglosaxonica christianorum conversione aucta et amplificata;

VIII. lingua danica;

IX. lingua anglosaxonica cum danica commixta;

X. lingua normanno-francogallica;

XI. lingua normanno-francogallica cum anglosaxonica mixta, unde

XII. lingua anglica, quae nunc viget, amplificando hauriendoque ex aliis quoque sermonibus orta et exculta est.

Ac primi quidem incolae Britanniae et Hiberniae erant Celtae, et belgicae nationes, quae jam ante Julium Caesarem advenae, eaedem a Celtis originem duxerunt. Quorum sermo usque ad hoc tempus in Hibernia, in Scotiae montibus insulisque, in Vallia, in insula Mona, in Britannia Francorum inferiore a vulgo usurpatur. Ejus vero quae partes sint potiores ex iis, quae antea enumeravimus, generibus plane elucere potest. Atque Celtae britannici anno sexagesimo a Julio Caesare multi subjecti sunt. Verumtamen latina lingua, in urbibus quidem ad vitae commercium necessaria, apud multitudinem Celtarum non adeo altas egit radices, ut ad posteriorem disciplinam et humanitatem anglicam permagnum attulerit momentum. Quae vero latina paulatim in anglicam linguam transierunt, ea ab ipso christianismi initio incipiunt, literis medii aevi efflorescentibus continuantur crescuntque magis magisque artibus ingenuis renatis.

Medio fere saeculo quinto Angli Saxones Jutaeque adversus Pictos et Scotos, ut perhibent auxilio vocati, Britanniam ingressi agros posteaquam adamarunt, plures traduxerunt et proeliis semel atque iterum commissis terram denique occupaverunt. Longo deinde temporis spatio interposito, dum Egbertus regna omnia conjungit et consociat, Dani navibus ad insulam appulsi haud pauci in ripa orientali consederunt, qui quum diu multumque cum Saxonibus de potentatu contenderent, postremo factum est, ut utraque gens in unam confunderetur. Unde perspicuum est, Danorum idioma aliquam in Anglis vim habuisse, sed eam

ob ingenii illorum ruditatem neque magnam neque diuturnam.

Anno autem millesimo sexagesimo sexto contigit — quo haud scio an quicquam fieri potuerit aut majus aut ad orationem Saxonum mutandam et conformandam efficacius — proelium Hastingense, quo factum est, ut Normanni superiores discederent. Quo confecto duae jam gentes eandem terram tenebant diversissima usi lingua. Ac Normannorum sermo vigebat in aula regia, in ecclesia, in cotidianis placitis ac decretis, in schola denique utebantur lingua francogallica, ita ut anglicum in dies magis magisque neglectum ad corruptionem paene vulgarem perduceretur. Jamque tertio decimo saeculo ab Anglis orti vixdum fuerunt, qui veteres suos scriptores, non dico, intelligere, sed omnino legere possent. Verumtamen homines inferioris ordinis patrii sermonis tenacissimi eum pro levitate generis sui atque doctrinae, quibus rebus poterant, tuebantur atque amplexabantur. Quae discrepantia in civitatem inducta permansit, quamdiu Anglorum respublica cum Normannis et Francogallis cohaerebat atque principes Normannorum Normanniam illam patriam et incunabula sua intelligebant. Sed, postquam Angli cum Normannis bellum intulerunt Joanni (qui dicitur regno carens) Normanni autem Normannia anno millesimo ducentisimo quinto amissa Angliam pro patria habere Saxonesque agnoscere populares coacti sunt, Angli denique cum Francogallis diu multumque postea dimicantes mores atque linguam eorum aspernari ac respuere coeperunt: tum vero illa memorabilis ac prope singu-

laris utriusque sermonis in unum conjunctio confusioque secuta est, atque ex ruina anglicae linguae jam prope senescentis brevique tempore periturae nova orta est linguae species, quae extrinsecus simplex et sine ullis fere ornamentis summum in se habet consensum concentumque atque admirabilem quandam virium ubertatem. Atque hinc aetas recens nata, quae dicitur, initium capit, cujus continuatio plus minusve perpetua, nusquam plane intermissa, longioribus tamen intervallis mirum quantum diversa est, ita ut ejus terminis tempus Anglici et veteris et novi includeretur, recentioris fere aetatis cultu et humanitate efflorescente separatum. Atque illo quidem nomine tempus inde a saeculo tertio decimo usque ad medium decimum sextum significatur, quo exeunte lingua anglica, quum formam figuramque a natura Anglici recentioris non jam ita abhorrentem induisset, typographica arte nascente, literarum studio denuo efflorescente, religionis paene exstinctae ratione restituta, constanter processit. Subtilior exinde cognitio ratioque loquendi parata et medio fere saeculo septimo ad perfectionem perducta est. Praecepta de verbis mutandis definita, ars enunciationes ad leges grammaticas struendi componendique, periodos omnibus numeris perfectas suavissimeque inter se ligatas conformandi inventa atque ordinata. Quae vero postea parta sunt, eo spectant, ut sentiatur et cognoscatur, quaenam vocabula periodique aut sublimius ingrediantur aut lenius acriusve currant aut jucundius fluant, unde efficitur, ut in quovis genere sermonis aptissima verba eligantur animique

intelligendis sonorum atque vocum rationibus assuefacti non solum mirifice oblectentur, sed etiam, quocunque opus fuerit, impellantur. Quod vero linguae ubertas et vires magis magisque exinde creverunt crescuntque et amplificantur vel hoc tempore, cui mirum videatur, probe scienti, nunquam populorum ingenia quiescere aut consistere nisi mortuorum?

Quae ratio intercedat inter Anglicum novum ejusque fontes.

Anglica hujus aetatis lingua, quomodo suis progressionibus usa adoleverit et ad pubertatem adducta sit, si perpendimus, ex synthetica analyticam, ex flexa flexione fere omni carentem factam esse videmus, id quod plusve minusve omnibus in linguis derivatis accidit. Qua in re paulo explicatius exponenda quae dici possunt de lingua anglica ad ea sane perducent, quae communem habent vim atque notionem. Nam, ut lingua quaeque antiquitati est proxima, ita maximum habet apparatum formarum flexibilium. Sed vulgaris sermo, quum notionibus vocabulorum perceptis radices eorum non curet, flexionem in exitu, tanquam inutilem, quam maxime poterit, attenuabit. Ita vocales in fine plenius sonantes levioribus cedent et postremae consonantes fere detrahentur. Flexione igitur permagnam praebente varietatem, frequentiores exitus rariores paulatim submovebunt. Unde non mirandum videbitur, ut supplementum quoddam afferatur, et praepositiones et auxiliaria verba circumlocutioni in-

servientia succedere. Erit igitur inter copiam exituum flexorum et inter usum praepositionum verborumque auxiliarium inversa ratio. Unde duo tempora exsistant necesse est, alterum collabentium formarum, varium et perturbatione plenum, alterum restitutarum, certius, purgatius atque constantius.

Quodsi, quae anglica lingua incrementa ceperit, quaeritur, similitudinem quandam maximam cum romanensi invenimus, in hoc tamen diversam, quod in illa non peregrina quaedam ruinam veteris structurae effecerunt, sed quod haec ipsa postea dilapsa et dissoluta tanquam materia operis accedunt, neque solum nascentis, sed multo magis crescentis, id quod apud Anglos paucis ante saeculis factum est. Qua re in his studiis versantibus nihil majus, nihil jucundius inveniri potest. Nam totius illius linguae adolescentis effigies non modo non obscura, sed adeo illustrata est, ut a quovis homine qui literas degustaverit in ingenti rerum gestarum monumentorumque luce planissime expressa cognosci possit.

Itaque mihi quum propositum sit de lingua anglica exponere, in tractanda hac materia eam ingrediar viam, ut primum grammaticam, deinde historicam partem strictim persequar. Ac grammaticam quidem attingere satis erit, ut omnino omnes linguae anglicae recentioris leges, quae ad etymologiam et syntaxim spectant vere esse anglosaxonicas, grammaticam nulla in re graviore aliam esse, quam anglosaxonicam simpliciorem.

Anglosaxonica igitur lingua, quum sit fons et

origo anglicae recentioris, necessarium esse videtur, talem ejus imaginem adumbrare, unde, quomodo anglicae linguae formae, in quibus jam potissimum versabor, ortae sint, satis elucere possit.

Atque hic anglosaxonica lingua per scriptores temporibus Alfredi Magni et primo fere saeculo post eum florentes tradita perlustranda erit, quum eo tempore dialecti saxonicae quingentos fere annos excultae a Gothico oriundae primis velut lineis in unam confusae videantur. Quae quum ita sint, a consilio meo haud alienum fore existimo, si totam quaestionem ad ipsius orationis partes adjunxero. Jam vero anglosaxonicis formis earum aetatum, quibus nova quasi incrementa cepit lingua, respiciendis eas anglicas formas opponam, in quibus flexionem adeo imminui videbimus, ut nulla cum lingua, ne cum romanensibus quidem, comparari possit. Qua in re, ut in nulla alia, quale sit ingenium Anglorum, clarissime apparebit, ad utilitatem illud actionemque propensum, quo efficitur, ut, quo quis sit verbis arctior et pressior, eo facilius omnes dicendi arte agendique vi vincat atque superet.

Jam ad articulum venio. Ex pronominis demonstrativi formis trium generum, duorum numerorum, quatuor casuum in Anglosaxonico quoque pro articulo usurpatis se, seo, thaet, cum instrumentalis reliquiis (thy, the) ductus est articulus Anglici recentioris definitus the; hanc unam formam ad tria genera et ad utrumque numerum adhibent, praepositionibus of et to assumptis, quibus syntactica substantivi ratio exprimi possit. Atque haud saepe in Anglosaxonico pronomen

demonstrativum pro articulo usurpatum est, saepius in Semisaxonico, quod vocant duodecimi saeculi linguam, articulus invenitur pro flexione manca, formis pronominis anglosaxonici demonstrativi jam plerisque diminutis et quasi decurtatis. Articulum indefinitum nec Gothicum nec Anglosaxonicum habet, sed postea ortum ex verbo anglosaxonico numerali ân, quod significat „quidam.“ In Anglico autem articulus a verbo numerali separatus est, forma ex vi soni aliquantum minuta in „a, an“, quum plenior forma „one“ verbo numerali adhiberetur.

Quoniam igitur de articulo satis multa prolata puto, nunc substantivi naturam usumque, si placet, explicabo. In quo proximum videtur, substantivum anglosaxonicum magnam propriarum vocabuli terminationum copiam habuisse, quibus ab aliis orationis partibus sejungeretur. Quae licet nonnullae in dialectorum diversitate positae fuerint, tamen, quin principio significaverint omnes et genus et vim et actionem et rationem et statum et alia non dubitandum est. Qui exitus in Anglico hoc tempore usitato plerique aut missi sunt aut conversi, aut quid sonuerint, quibusdam exceptis, nobis ignotum.

Substantivorum autem anglosaxonicorum tria sunt genera, quae quidem alia ad genus rei significandae, alia ad exitum sunt accommodata; casus sunt quatuor: nominativus, genitivus, dativus, accusativus reliquiaeque instrumentalis cujusdam, duo denique numeri. Declinationem alteram pleniorem, leviorem alteram reperimus, et haec quidem continet masculina omnia

in a, feminina in e nonnullaque neutra in e exeuntia, quae omnia in genitivo et dativo singularis atque in nominativo et accusativo pluralis an habent, in genitivo pluralis ena, in dativo pluralis um. Plenior declinatio continet omnia substantiva, quorum nominativus singularis exit in consonantem. Qui, quamvis varie sint flexi, hos tamen communes habent exitus: in genitivo pluralis a, in dativo pluralis um, in nominativo denique et accusativo omnium numerorum neutrius unum eundemque finem. Quorum exituum ad schema quoddam redactorum haec fere erit descriptio:

I. Levioris declinationis ratio:

I. declinatio

Sing.

	Masc.	Fem.	Neutr.
Nom.	—a	—e	—e
Gen.	—an	—an	—an
Dat.	—an	—an	—an
Accus.	—an	—an	—e

Plur.

Nom.	—an
Gen.	—ena
Dat.	—um
Accus.	—an

II. Plenioris declinationis ratio:

II. declinatio

Sing.

	Masc.	Fem.	Neutr.
Nom.	—(e)	—	—
Gen.	—es	—e	—es
Dat.	—e	—e	—e
Accus.	—(e)	—e	—

Plur.

	Masc.	Fem.	Neutr.
Nom.	—as	—a	—
Gen.	—a	—a	—a
Dat.	—um	—um	—um
Accus.	—as	—a	—

III. declinatio

Sing.

Nom.	—u	—u	—(e)
Gen.	—a	—e	—es
Dat.	—a	—e	—e
Accus.	—u	—e	—(e)

Plur.

Nom.	—a	—a	—u
Gen.	—a	—a	—a
Dat.	—um	—um	—um
Accus.	—a	—a	—a

Saeculo undecimo et duodecimo, ut supra dixi, Anglosaxonicum post magna incrementa celeriter corruit atque exolevit. Jam medio saeculo duodecimo in

substantivis vix veteres exitus reperiuntur, iique ex finibus verborum decurtatis perspicui. Duobus deinde post saeculis Chaucer praecipue ejusque aequalis Wycliffe orationis instauratae existunt auctores. Atque tum, quam minimi momenti essent ceterae omnes flexionis syllabae earumque reliquiae, patuit. Nam flexionum perpaucae supersunt, in Anglico novo servatae. Genus substantivorum non amplius ad exitum sed fere ad proprium verbi genus refertur. Pluralis autem, ut in Anglico recentiore, adjuncto s conformatur, quod ortum ex plurali anglosaxonico in as, qui est in masculinis in consonantem exeuntibus, ad unum fere omnia subtsantiva receperunt et ita quidem, ut as, attenuatum in es, factum sit denique s. Atque haec forma pluralis nullo prorsus discrimine usurpata adjuta est Francogallico, in quo tamen originem non eandem habet. Quae ab hac pluralis conformatione decedunt, ea a grammaticis nostris aut ad proprietatem orthographicam aut ad formas anglosaxonicas referuntur Pluralem autem men a singulari man, feet a foot etc. ex anglosaxonica pleniore declinatione restare patet, alius pluralis (ox, oxen) ex declinationis levioris Anglorum forma in an (attenuatum in en) ducendus est, plurales singularibus similes ex plenioribus neutris, quae in nominativo et accusativo pluralis non discrepant a casibus iisdem singularis. Ex anglosaxonica casuum formatione deinde translatus est saxonicus, qui vocatur, genitivus isque ex genitivo multorum masculinorum et neutrorum in es exeuntium ortus, ita ut pro e praetermissa apostrophus adhiberetur.

Quod recte se habere liquet ex operibus illius Chauceri ejusque aequalium, apud quos genitivus in es est usitatissimus. Qui usus nostris temporibus quum vehementer defecisset, in significando personali possessione mansit (unde etiam possessivus vocatur) Alia genitivi vis praepositione of adhibita efficitur.

Sequitur adjectivum. In quo mihi, quamquam vulgatissimum est tritumque, tamen monendum illud videtur, anglosaxonicam linguam nomen adjectivum in genere, numero casuque ex substantivo determinante pendere atque praeditum esse utraque declinatione et leviore et pleniore, illam autem usurpari praecedente vel articulo demonstrativo vel pronomine possessivo, contra Anglicum novum adjectivi uti una eademque forma. Atque haec quidem principia adjectivi usus definiendi. Liberiore paulo post usu ex adjectivis quoque substantivis exigua pars substantivi recepit flexionem. Sed, ut accuratius rem exponam, neve omnium loquendi generum temporumque fines confundendo viam incertam relinquam, jam hoc loco praemittam, esse haec quae dixi nomina plurima ex romanensi ducta, et, ni fallor, plurima ex romanensibus latinisque substantivis translata.

His adjungenda est veteris linguae anglicae ratio quae quum rarissima flexione uteretur, postremo jam illius Chauceri ejusque aequalium temporibus vix ullum omnino flexionis vestigium habet.

Atque de positivo satis dictum videtur: venimus ad comparationem, in cujus explicatione haud scio an accommodatissimum sit exemplo totam rem conficere.

Pos.	Comp.	Superl.
heard	headre	heard-ost
(thaet) hearde		(thaet) heard-oste

Unde patet superlativum formas habere duas et leviorem et pleniorem, comparativum nullo discrimine in „re“ formari. Equidem etiam illud mentione dignum puto, haud raro vocalem inflexam esse, cujus rei aliquot vestigia in Anglico novo reperiuntur, velut: old, elder, eldest etc. Saeculo duodecimo vocalibus valde attenuatis et imminutis, a Chaucero ejusque aequalibus comparationem et in „er“ et in „est“ formatam et Francogallicum „more“ et „most“ usitatissimum esse invenimus. Quis autem non videt, jam mature comparationem anglosaxonicam in stirpes romanenses translatam ab Anglis recentibus esse retentam, ita tamen, ut in adjectivis et anglosaxonicis et romanensibus propter numerum certis terminis septam teneretur. Sed haec hactenus. Jam ad pronomina transgrediar.

Atque ad totam quaestionem illustrandam ita initium faciam, ut, quae sint anglosaxonica pronomina personalia, universe describam.

I. pers.

	Sing.	Dual.	Plur.
Nom.	ic	wit	we
Gen.	min	uncer	ure
Dat.	me	unc	us
Accus.	me	unc	us

II. pers.

	Sing.	Dual.	Plur.
Nom.	thu	git	ge
Gen.	thin	incer	eower
Dat.	the	inc	eow
Accus.	the	inc	eow

III. pers.

Sing.

	Masc.	Fem.	Neutr.
Nom.	he	heo	hit
Gen.	his	hire	his
Dat.	him	hire	him
Accus.	hine	hi	hit

Plur.

Nom.	hi
Gen.	hira
Dat.	him
Accus.	hi

Anglosaxonicum igitur pronomen personale in primis duabus personis genere non diversum esse, in singularis tertia persona tria genera, in singulari et plurali plenas tres personas, in duali denique duas primas habere, non est difficile intellectu. Cum his si comparaverimus pronomen personale Anglici recentioris, haec inveniemus: dualem anglosaxonicum in prima et altera persona plane deesse, nec jam genetivum per se usitatum, sed eum cum pronomine pos-

sessivo conjunctum, pluralem deinde tertiae personae non a plurali pronominis personalis anglosaxonici, sed a plurali pronominis demonstrativi se, seo, thaet ducendum esse, germanum autem pluralem in Anglico vetustiore usitatum. Dativum deinde si spectamus, monendum esse videtur, ut dativi et accusativi exemplar nobis proponamus. Genitivus autem praeposita praepositione of formatur, ne hoc quidem omittendum puto, dativum ab accusativo disjungendum praepositione to interdum uti. Ceterum hic usus non est novus, sed ad vetustiorem pertinet orationem. Unum tangam, quod multum habet admirationis, poni personam alteram pluralis pro appellatione, atque nominativum pluralis ye in Anglico recentiore nomini you cessisse, quum poetae et familiaris quotidianusque usus veteris sermonis colorem haud raro servarent. Videamus nunc, qui sit usus pronominis possessivi.

Ac primum quidem, quae sint pronomina possessiva, examinemus. Jam in Anglosaxonico, ut hoc praemittam quasi primum fundamentum, pro possessivis usurpantur genitivi pronominum personalium, quae in prima et altera persona adjectivorum more declinatione pleniore formantur, in tertia persona non mutantur. Formae vero Anglici recentioris inde tractae duplicem habent rationem, alterae ut aut attributive cum substantivo conjunctissimae inveniantur, aut alterae non ita exiguis finibus circumscriptae. In quo notandum, tum in Anglosaxonico tum in Anglico vetustiore vocabulum „his“ ad tertiam personam generis masculini ac neutrius pertinuisse, „its“ autem ortum ex it's Sha-

kespearii demum temporibus formatum ad genus neutrum designandum in usum postea vulgarem transisse. Sequitur jam, ut de pronomine reflexivo pauca afferamus.

Atque in Anglosaxonico omnium trium personarum pronomina personalia simul pro reflexivis ponuntur, qui usus diu mansit, etiam nostrae aetatis ab Anglis maxime in genere poetico non plane sublatus. Quae pronomina personalia ut majorem haberent vim, additum est adjectivum silf, sylf, eodem in genere et casu (velut ic self), quod quum sit etiam pro substantivo usurpatum, et adjectivi et substantivi habet vim, unde, quae sit ratio inter myself et himself et inter ourselves et themselves, per se apparet.

Pronomina demonstrativa persequentibus in Anglosaxonico haec occurrunt: se, seo, thaet, quod idem pro pronomine relativo et pro articulo est, pariter thes, theos, this, e quibus this et that cum pluralibus these et those Anglici recentioris sunt profecta. Huc accedit yon, yonder, idque, quum apud alios tum apud poetas usitatissimum, ortum ex adverbio anglosaxonico geond.

Pronomina autem interrogativa Anglici recentioris who, what, which, unde sint orta, si quaerimus, facillime ex pronominibus flexibilibus hva, hvaet et hvylc ducemus, quae jam in Anglosaxonico eandem, qua nunc utuntur, habent significationem. Ex illo hva servatus genitivus hvas in forma whose ad rationem genitivi possessivi designandam in personis et in personificatione adhibetur.

Pronomen relativum in lingua anglosaxonica deest. Relationem indicat tamen particula the, quae cum pronomine demonstrativo se, seo, thaet conjungitur, velut: se the (qui) seo the (quae) thaet the, thaette (quod); particula the etiam sola relationi sufficit. Quem usum relationis designandae anglicus sermo ita retinuit, ut demonstrativum (thaet), ad quod postea interrogativa who, which, what accesserunt, jam inde a vetustissimis temporibus pro pronomine relativo usurpatum sit. Sed haec hactenus. Pronomina indefinita quum sint plurima, satis habebimus illud spectare, maxima ex parte esse sumpta eadem ex copia anglosaxonica.

Jam ad id, quod frequentissimum est et multum habet vel novitatis vel varietatis, ad verbum venio ejusque et formas explicandas et rationem certis finibus circumscribendam. Quam quidem rem quum explanatius exponere in animum induxerim, tamen scriptionis fines pluribus demonstrare prohibent. Ut igitur, quae plus habeant ponderis ac momenti, subtilius ac pressius agantur, monendum ab initio arbitror, non de omnibus me dicere anglosaxonicis flexionis formis, sed de iis tantum, in quibus, quasi in cardine, tota vertitur conformatio et perfectio Anglici recentioris. Atque hic eodem, quo in substantivo et adjectivo, modo discernitur inter flexionem et pleniorem et leviorem. Plenius imperfectum formatur vocali immutata, participium perfecti adnexo en, levius imperfectum sibi adjungit -ode, -ede, -de sive te, participium perfecti adsumit ad stirpem -od, -ed, -d sive t.

Huc accedunt permulta verba anomala, quorum exempla ut proponam, propter angustias scriptionis nullo modo fieri potest. Priusquam autem ad verbum anglici recentioris perquirendum veniam, primum de conformatione ex Anglosaxonico orta haec afferentur. Saeculo duodecimo nondum definitus usus loquendi omnibusque numeris absolutus invenitur. Exitus autem infinitivi proprius ac peculiaris in an plerumque in minus sonantem en transiit, quod idem fere in finibus personarum pluralis maximeque imperfecti on factum est, pro quo subinde ed vel e (anglosaxonice dide) invenitur. Jamque mutationes fiunt vocalium in aliis stirpis et flexionis syllabis, ita ut saeculo quarto decimo flexio verbi a sermone anglico recentiore haud valde discedat. Nec tamen negandum est, inveniri etiamtum multa antiquioris illius ornamenti, quod procendente tempore aut corruit aut alia ratione compensatum est, quae magis ad totam Anglici recentioris conformationem quadrarent. Jam vero ad rem veniam. In Anglico recentiore plurimum valet, ut quaecunque ad intelligendum non sint necessaria, resecanda esse omnia putentur. Ita vero nescio quomodo accidisse arbitror, ut multa penitus amiserimus, quae ad exornandam orationem magnam haberent vim, quae quibusdam ex partibus nullo modo nec restitui nec compensari satis possunt. Id potissimum ut magis illustrem, strictim ac breviter rem attingam. Ac primum quidem discrimen inter conjugationem et leviorem et pleniorem in Anglico novo servatum quidem, sed saepius tectum obscuratumque est, ita ut haec antiquior magis

magisque cesserit illi leviori, quae nunc habetur legitima. Verba autem romanensia nescio an nunquam gravi usa sint flexione. Quin etiam mox eo perventum est, ut verba gravia haud pauca, quae eandem flexionem haberent leviorem, hanc sensim vel plerumque vel unam reciperent. Discrimen deinde numeri ac personae quum negligeretur, infinitivum praesentis adjectis aptis pronominibus personalibus pro praesentis prima persona singularis atque pro omni plurali usurpatum invenimus, in quo tamen vituperandum est, usum sibi parum constare, quum exitus alterius personae singularis (st) et tertiae personae (s ortum ex th) sit retentus. Id quod duabus de causis factum esse videtur. Nam, ut supra in pronomine personali dicimus, jam mature altera persona singularis in sermone vulgari cum persona altera pluralis commixta est, quo, ni fallor, effectum est, ut, ubi omnino fieri potuit, vetus loquendi puritas servaretur. In tertia vero persona frequentissimo usu id accidisse puto, ut suffixum antiquissimi temporis suum obtinuerit locum. In imperfecto deinde exitus alterius personae singularis mansit, tertiae personae cessit. Imperativus autem in Anglico recentiore formam praebet ex singulari Anglici vetustioris petitam. Pluralis in ath (eth) diu permansit, id quod locis permultis illius Chauceri planissime apparet. Itaque, quum imperativus nonnullas formas amissas non posset recuperare, eadem, qua principio, via factum est, ut verbum auxiliare ad imperativum formandum adhiberetur. Ex participiis primo loco paucis dicendum videtur de gerundivo

cum suffixo ing, quod saepissime in Anglosaxonico substantivi vim habet, ortum ex mira commutatione cum suffixo ende, quam commutationem esse vetustissimam inde colligi potest, quod jam in participio semisaxonico et inge et ende exstant nullo prorsus usus discrimine. Illud ing autem saeculo decimo quarto vulgatissimum in Anglico recentiore unum est servatum. Conjunctivi formae in Anglosaxonico frequentatissimae atque usitatissimae, diu etsi mutilatae retentae, in Anglico recentiore maxima ex parte evanuerunt, quum conjunctivus plerumque cum conjunctionibus nexus his ipsis satis significetur. Quod ubi non fit, ibi verba auxiliaria ad conjunctivum designandum adhibentur. Ut vero hac quaestione paucissimis defungar, breviter postremo de jactura temporum anglosaxonicorum perfectorum in verbis mot et sceal disseram, quae ad hodierna verba defectiva must et ought plane respondent. Quae formae quum sint amissae, ut necessitas peracta exprimatur, verbum gravissimum in praeterito collocetur necesse est, qua re efficitur, ut relationes utriusque verbi logicae et temporales inter se confundantur.

Quodsi quaeritur, num quid Anglorum recens lingua ad ea, quae ex fontibus tradita accepit, adjecerit, illa notabilis videtur forma, qua futurum exprimitur. Nam in Gothico quidem et Anglosaxonico nullum reperiri potest hujus temporis vestigium, quum praesentis usus liberior hanc quoque contineat notionem. Sed postea, quum in eo elaborarent, ut temporum fines accuratius constituerent, adhibita sunt verba auxiliaria

ceal et wille (nunc shall et will) eaque celerrime in usum vulgarem recepta. Haec pauca postquam de temporibus exprimendis protuli, adjiciam, esse nonnullas praeterea Anglici recentioris circumlocutiones, quibus notio verbi ipsius quasi adumbrata eo magis existat atque emineat, ex parte jam in Anglico vetustiore usitatas.

De aliis orationis partibus dicere nisi strictim vix possum. Primo loco commemorandum, nomina numeralia in Anglosaxonico proprie adjectiva et plenam et levem sequi declinationem. Hinc etiam Anglici recentioris nomina numeralia sunt ducenda, in eo tamen discrepantia, quod numeri inde a decies centenis millibus ex Francogallico originem traxerunt. Ordinalia autem exceptis duobus primis Anglosaxonicum ex cardinalibus sumpsit adnexis terminationibus -da, -ta, maxime -oda. Anglicum vero novum exceptis tribus primis ad cardinalia omnia adjungit th. Primus first est anglosaxonicum fyrsta, secundus second respondet anglosaxonico other et anglico vetustiori secunde, tertius third est anglosaxonicum thridda. Ac ne quid pro noto tritoque omittam, afferendum illud videtur, numerationem adhibito numero viginti (score anglosaxonice scor) apud Celtas olim frequentissimam et in Francogallico angustis quidem finibus inclusam, usitatam tamen, hic quoque antiquitus promiscue usurpatam, perraris nunc vestigiis exstare.

Adverbia Anglici recentioris cum in forma tum in exitibus derivatis proxime sequntur Anglosaxonicum ita, ut vel, quae ex Romanensi sunt petita, ad illud

accommodentur. Exitus autem anglicis adverbiis communis est ly, ortum ex lice, quod est dativus nominis lic (figura).

Tertius deinde locus, de quo paucis disputandum, est de praepositionibus, conjunctionibus et interjectionibus, quas omnes fere ex Anglosaxonico fluxisse satis erit commemorare. Usus autem praepositionum in Anglico recentiore subtiliter et eleganter est definitus, atque haud scio an nulla in lingua politius limatus. Sed longum est et difficile omnia formarum incrementa, omnes, quas aetas procedens protulit vicissitudines vel strictim percurrere. Quamobrem jam satis habere mihi videor, si in iis, quae hactenus dixi, uberrima materiae copia quodam artificio ornata resque gravissimae aptissime inter se junctae exstare videbuntur.

Superest, ut ad alteram, quam illustrare proposuimus partem veniamus, qua perlustranti linguam ac rimanti nihil majorem habet oblectationem, nihil plus ponderis ac momenti ad mutationes illas, quas Anglicum novum, si ad syntaxim spectamus, cum Anglosaxonico comparatum ostendit. Sed perfectum omnibusque numeris absolutum harum simulacrum ante oculos collocare propter incredibilem ipsius rei magnitudinem, quae eruditionem amplissimam et profundissimam requiret, mearum quidem, aperte profiteor, non est virium. Quare, quum mihi non praesto sit monumentorum omnium ea quae opus est cognitio et scientia, in eo versabor, ut, quae sunt graviora nec tamen plane occulta et recondita, exponam.

Jam quum non sit negandum, Anglicum novum

in conformatione ac dictione anglosaxonicum maxime secutum esse sermonem, tamen ab omnibus mihi concessum iri spero, illum non tanti fuisse momenti, ut Francogallico aditus plane praecluderetur. Quam enim in Anglico recentiore incredibilem in dicendo brevitatem, quam in grammatica certam definitionem, quam in praeceptis constantiam, ne dicam rigorem et pertinaciam admirari solemus, eam ex Francogallico esse petitam, nemo non fatebitur. Apud Anglos vero vel mutata vel ad regulas quasdam angustiores reducta est positio subjecti, praedicati, objecti inter se mutua, objecto substantivi ope expresso, deinde positio objecti vel proprioris vel remotioris, tum substantivi ex infinitivo pendentis, partim denique adverbiorum. Nec minus ponderis habet Francogallicum in sententiis primariis et secundariis inter se conjungendis, id quod cum ex aliis tum ex eo apparet, quod in Anglicum ex illo sermone translata est constructio participiorum nuperrime usitatissima mira brevitate atque vi excellens. Ex Francogallico quoque ducta est, ut exemplum afferam, ea quae nunc obtinet, rectio infinitivi ope substantivorum, adjectivorum, participiorum, casuum substantivi ope verborum, ex eo numerus haud parvus vocabulorum et conformatio sententiarum permultarum ex consensu usus praepositionum intelligendarum. Quid plura de singulis proferam? Anglicae linguae studio, si quis aliquam impenderit operam, ne dicam penitus se totumque tradiderit, persuasum ei esse debet, ex omnibus sermonibus terrae vix ullum ita pollere conformationis

syntacticae robore, quocum non conferatur Anglicus. Ut vero Grimmii, auctoris in sermonis nostri historia persequenda gravissimi, verbis utar, cui id mirum videatur, cogitanti, indolem ejus linguae ingeniosissimam atque perfectionem mirifice absolutam ortam esse ex matrimonio inter ambo sermones quodammodo generosissimos totius Europae, germanicum et romanensem juncto.

Materiam lexicalem spectantibus, quum ex iis, quae supra commemoravi, Anglicam linguam haud scio an omnium Europae cultissimarum linguarum maxime commixtam esse appareat, plurimum habebit admirationis, quomodo fieri potuerit, ut materiam eam disparem in unam ac simplicem transformaverit imaginem. Lingua anglica recentissima, quum optimam patrii sermonis prae se ferat hereditatem, tamen plus minusve Francogallicis, Latinis, Graecis, Celticis, Danicis, etiam extra Europam ortis vocabulis eam esse locupletatam, nemo non concedet. Quae uberrima copia facile suppeditat, quae in quaque re erunt, vel ad animorum sensus exprimendos ornatissima vel ad aures eorum qui audiunt permulcendas atque alliciendas aptissima jucundissimeque cadentia. Ex germanica autem permagnam vocabulorum copiam anglica lingua hausit idque potissimum propterea, quod illa subtilissime inventa, incredibili quodam artificio distincta, gravissimis denique sententiis adornata, optime ad propriam animorum affectionem respondebant. Ad quam germanicam sententiarum altitudinem atque excelsitatem francogallica

accessit mollitudo atque laevitas. In quo magnopere dolendum est, verborum mutilatione ac paucitate flexionum similitudinem quandam in extremis excitari, artificiosae linguae conformationi et egregiae venustati contrariam atque repugnantem.

Quot vocabula ex quoque fonte fluxerint levioris momenti quaestio est, cum aliis de causis tum propterea, quod sententiae virorum in hoc genere doctissimorum mirum quantum discedunt. Sunt qui ex vocabulis ad numerum triginta octo millium relatis, viginti tria millia fere ex Anglosaxonico, reliqua ex Francogallico maxime et Latino petita censeant. Sed, ut sunt scripta inter se diversissima, ita maxime mixturae rationem variari, facillime ex iis, quae sequuntur, pacebit. Praeterea scripta diversorum scriptorum pro ingeniorum diversitate quasi suo quodam colore nunc romanensi nunc anglosaxonico ornata sint necesse est.

Conjunctiones, praepositiones, articulum, pronomina nullo fere excepto ex Anglosaxonico esse sumpta, jam supra commemoravimus. Quibus adjungenda sunt substantiva, adjectiva, verba denique omnia, quae a grammaticis recentioribus irregularia nominantur, quum peregrina olim ad regulas vulgares accommodata sint. Haec vero vocabula fuisse in vita communi usitata, ex antiquioribus formis nobis traditis optime colligi potest. Pleroque vermo nomina, quae sensibus exprimendis inserviunt, originem ex Saxonico traxerunt. Quae gens quum agriculturae, rei pecuariae, artificiis vacaret ad quaestum maxime necessariis, vocabula ex hoc dicendi genere frequentatissima ab ea ducta esse

elucet. In quo hoc imprimis notandum est, pecorum quidem vocabula esse saxonica sed ciborum ex eorum carne paratorum francogallica, quum Normanni domini essent, opulenti atque subtilis palati (cf. nomina: cow, ox, calf, sheep, swine, deer etc. beef, veal, mutton, porc, venison etc. Idem notandum est in verbis hisce: hut, house, shop, wood; palace, theater, parc; water, milk, beer; wine, chocolate, sugar, vinegar; miller, baker, shoemaker; painter, merchant, officer etc.) Adde quod generis notiones potissimum ex Francogallico et Latino, partes ex Anglosaxonico sunt ductae. Quae vero ad sensum, ad homines, ad studia denique praeclara ac propria pertinent plerumque ex Anglosaxonico sunt orta quo eodem ex fonte plurimas easque gravissimas voces contumeliosas profluxisse notum est.

Quaeritur nunc, quae ex francogallica lingua in anglicam transierint. Atque hic mentione dignum puto, alia aliis temporibus esse traducta. Oriendum vero ab eo tempore, quo terra expugnata Normanno-Francogallicum invitis Anglosaxonibus inferebatur. Etenim jam supra diximus Saxones subjectos, ut erant Germani, tenacissimos suorum morum suaequae linguae fuisse. Quae quum ita essent, quae fuerit paucitas verborum in usum perpetuum sensim traductorum, facile conjectura assequi possumus. Imprimis huc pertinent vocabula ad leges, ad res et publicas et bellicas et equestres, ad aulicas denique spectantia velut: sovereign, sceptre, throne, prince, duke, count, peer, baron, chancellor, honour, court, champion, judge, justice, jury, law, title, charter etc. Tum Eduardo

tertio regnante Francogallicum jam latius manavit, hic illic concordissime aptissimeque cum anglosaxonicis radicibus commixtum. Nam eo tempore utriusque gentis confusio jam confecta erat. Unde factum est, ut lingua anglica in omnium usum tam communem veniret, ut anno millesimo trecentesimo sexagesimo secundo etiam in actiones publicas et forenses introduceretur. Animis ita delinitis et mirifice inter se conciliatis tantam poetarum suorum Normanni apud omnes admirationem excitarunt, ut multorum annorum decursu vix ullus Anglus literis paulum eruditus inveniri posset, quin in eorum lectione operam collocaret maximam. Neque minimi erat momenti, quod Chaucer, qui optimo jure anglicarum literarum parens ac suae aetatis poeta maxime popularis nominatur, ab illo genere non abhorrens immensum in carmina sua perfectissima ac paene divina francogallicorum vocabulorum induxit numerum. Multa eorum postea exstincta sunt velut: ayel, (aïeul, avus) coulpe, (culpa) etc., longe plurima autem tam altas egerunt radices, ut cum stirpe sermonis domestici plane coalescerent ejusque speciem prorsus immutarent. Deinde non paucae introductae sunt voces francogallicae regnante Elisabetha ad artes, literas, luxum, alia respicientes nec minus ad philosophiam ac notiones pertinentes. In quibus ante omnia id dijudicandum est, utrum scribendo, an dicendo in usum venerint, in quo posita est major minorve eorum corruptio. Nam quae dicendo invaluerunt, ea ad pravitatem tam insignem sunt delata, ut, ad quod francogallicum vocabulum sint

3*

referenda, cognosci saepe omnino non possit, quae vero scribendo, eorum vestigia si non fixa, at leviter impressa persequi licet. In quo tam immenso campo facile ad quendam finem perducemur, si observabimus ejus modi vocabula, quae duplici forma in Anglicam translata fuisse apparent velut: aumone, alms; to avow, to avouch; to arraign, to arrange; to astone, to astony, to astonish, to astound, to astun, to stun; to bann, to ban, to bane, to banish etc. Denique non praetereundum videtur, quantam Francogallicum habuerit vim ad vocabula conformanda. Praefixa enim et suffixa nonnulla, quoniam aliunde non possumus, etiam in vocabulis iis, quae non sunt francogallica, ex eodem fonte atque origine sunt ducenda velut in disbelief, forbearance, dislike, diskindness etc. Contrarium fieri quum non minus soleret, non mirandum est saepenumero admodum distantia in unum esse confusa, communi sensu pulchri honestique vehementer repugnante.

Sed quid ego haec agito, quae cognitionem habent facilem, quum jam pauca de lingua latina sint proferenda? Vocabula ex ea sumpta, prout res sunt, in quatour dividi possunt genera. Ac primo loco ea sunt nominanda, quae temporibus Romanorum Britanniae imperium tenentium in civitatem recepta sunt, inde ab anno quinquagesimo quinto a Chr. usque ad quadringentesimo vicesimum, quo anno Honorius copias romanas revocavit. Quamquam ut supra dixi, latina lingua ad excolendam anglicam non ita magni fuit ponderis, id quod haud scio an multum habeat ad-

mirationis, quum Romanos in Britannia aut militantes aut vectigalia exigentes invitos ac rarissime inter incolas esse versatos sciamus. Itaque pauca vocabula in usum communem transisse perspicuum est, pauciora usque ad hoc temporis simplicia velut: street (strata); commixta autem haec sunt: Lincoln (Lindi colonia), Manchester, Leicester, Chester (chester, cester orta sunt ex vocabolo latino castra). Altero loco afferenda sunt ea, quae temporibus Saxonum christianorum maximeque per Augustinum, episcopum Cantabrigiae principem, ejusque successores inducta sunt. Quae eadem numero pauca ad sacras potissimum atque ecclesiasticas res pertinent velut: monk (munuc, monachus), bishop (biscop, espiscopus), minster (mynster, minister), mass (maesse, missa), priest (preost, presbyter), cloister (cluster, claustrum), to preach (praedician, praedicare) etc. Tertius locus est de iis, quae inter proelium Hastingense et literarum artiumque instaurationem in consuetudinem venerunt. Eo autem tempore permulta sunt introducta, quod Franci peregrinis jam aditum aperuerant, et quod tum literae monachorum vel in religione explananda vel in fabulis tradendis versantes apud multos summo in honore esse coeperunt. Atque hic certe, quae sint e Latino, quae ex Francogallico oriunda, difficile saepe erit dijudicatu. Omnia vero hoc tempore recepta fere substantiva, pauciora adjectiva, perrara verba sunt, quae temporis decursu paulatim superiorem formam paene totem abjecisse, cui mirum videatur? Postremo, id quod in quarto loco posueram, de omni illo genere vocabu-

lorum, quae ex instauratione literarum artiumque usque ad nostra tempora introducta sunt, perquam breviter exponam. Sunt autem nomina diversissima, quorum nonnulla formam ac flexionem propriam retinuerint, unde, quot jam sint in usum vulgarem recepta, facillime perspici potest. Quae vocabnla, quando sedem et tanquam domicilia sua in anglico sermone collocaverint, si quaeritur, hic quoque, ut in Francogallico, Elisabethae aetas potissimum designanda est. Nam admiratione antiquitatis excitata illi, qui hic imprimis studiis dediti erant, sensim orationem suam illis veterum monumentis accommodantes tantam nominum novorum eintroduxrunt copiam, ut linguae propriae integritatem prope penitus tollerent. Atque eos iisdem vestigiis saeculo maxime duodevicesimo persecuti sunt Pope, Johnson multique alii. Nihilominus tamen postea quoque multa ex eodem fonte ad linguam anglicam augendam profluxisse videmus.

Ex aliis sermonibus translata, quum sint paucissima, ea quae mihi nota sunt, breviter exponam. Ex Celtico autem nihil scriptum relictum videmus, quae autem inde sunt deprompta, praecipue ad montes, fluvios vicosque designandos pertinent. Praeterea pauca eaque recentiore tempore ex Vallia, Hibernia, Scotia traducta reperim suut: plaid, mattock, bran etc. In qua re ne diutius haeream, jam de incrementis ex Danico captis breviter exponam. Ex quibus nulla exstare videntur vestigia praeter exitus by, bye, wich (oppidum, vicus) in urbibus significandis adhibitos. Ex Graeco denique multa sunt tradita,

sed ea plerumque Latino et Francogallica confusa et obscurata, ut church (κυριακόν). Huc accedunt multa graecis aut nominibus aut radicibus artificiose contexta in terminis technicis, qui vocantur, frequentata. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id aliunde sumi omnes facile concedunt.

His expositis quamquam quae lumen afferant linguae anglicae accurate contemplandae multa praeterea possunt addi, ut de accentuum proprietate, de discrimine inter scribendum et dicendum intercedente permagno nec ad reliquum usum linguae accommodato, tamen in his, quae potui, non quae volui, explicavi. Magnus enim is est locus et magnum sibi poscit volumen.

Quae quum ita sint, satis habebo dissertatione mea non materiae plane novae commendatione, non argumentorum expolitione, non verborum denique ornatu satis digna docuisse, quibus ex fontibus variis anglica lingua nata sit.

Quis autem non intelliget, quo modo ex hac aptissima materiae magna ex parte aliunde quaesitae compositione opus illud admirabile omnibus numeris perfectissimum effici ita potuerit, ut nulli totius Europae linguae Anglica cederet. Angli non modo in historia, republica literisque excolendis admiratione et laude totius Europae sunt dignissimi, sed etiam, quocunque terrarum venerunt, sedem suae linguae ac domicilium constituerunt. Ita illos clarissima verborum ac sententiarum luce universum orbem terrarum collustravisse nemo non vel invitus concedet.